

562 EXERCITATIO LXXXVI.

cipiatur in subiecto corporeo, alias quam corporeus motus esse nequit, quia materialis & corporei subiecti accidens necessariò corporeum & materiale est. Sed jam tuum est, Quinte, defatigato mihi in altera quæstione tractanda succedere.

EXERCITATIO LXXXVI.

Continuatio Dialogi, ubi docetur solum organi corporei motum quandoque sensum appellari.

1. Qu. **A** Ltera quæstio nobis proposita hæc fuit, an motus ille organi corporei, quem primum sensus gradum diximus, etiam ipsius sensus nomine veniat, cuius tamen primus tantum gradus est. Et ratio dubitandi est, quod primus ad rem aliquam constitutendam gradus non videatur nomine illo posse insigniri, quo res tota constituta & gradibus suis perfecta solet appellari.

2. Dicendum verò est, motum istum organi corporei, v. g. oculi, sensus ac visus nomine designari tum à philosophis tum ab aliis solere. Verbi causâ, dum queritur num visio fiat *emissione*, an *receptione*, respicitur sane organum corporeum, cuius